



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 168. Declaratio Franciæ Principum adversus Ancræum, ejusque  
Confortes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

randam in Regis manu positum foret, Sæc. XVII.  
nisi ergo hos duos, ejusque affeclas A.C. 1617.  
ex confortio Regis, ac Reginæ Matris  
exterminaverit, gravissimum inde dam-  
num fecuturum fit. Paulopost die sexta  
Februarii Nivernii Dux ad Regem lite-  
ras dedit, in quibus petebat, ut Rex  
interposita sua auctoritate impedire ve-  
lit, ne ipse Ancræo, eique adhæren-  
tibus, sed duntaxat Principibus & Fran-  
ciæ Paribus ad id convocatis judican-  
dus permitteretur, cum paratus esset  
horum judicio sese submittere, ut ita  
& innocentia sua, hostiumque suorum  
malitia prodatur.

§. CLXVIII.

*Declaratio Franciæ Principum ad-  
versus Ancræum, ejusque  
Consortes.*

Promulgata proscriptione Principes Gramond.  
plurimas Perthici, Cenomani, Nor- l.c. Calmet  
maniæ & Campaniæ urbes, arcesque Hift. Univ.  
occuparunt; ut ergo Rex magis peri- l. 151. n. 9.  
culosos motæ seditionis progressus fiste-  
ret, copias suas in tria divisit agmina,  
Guisio in Campaniam, Montignio in  
Nivernium, & Alverniæ Comite in  
Sueßiones irrumpere jussis. Præcipua  
belli moles ad Portianam arcem erat,  
quam Guisius crebra tormentorum ex-

Qq 4 plo-

Sæc. XVII. plosione ad ditionem die trigesima  
A. C. 1617. Aprilis compulit, pactis hisce legibus.

I. Regi munimenta castrumque unacum  
bellico apparatu reddatur. II. Salvis  
impedimentis præsidiarii excedant ar-  
mati. III. Adigantur sacramento, ar-  
mis ut abstineant in Regem suum, toto  
trimestri abhinc numerando: postre-  
mus hic articulus plerisque bilem mo-  
vit, perinde acsi expleto hoc trimestri,  
militibus belli in Regem movendi fa-  
cultas data esset, unde illatum, Re-  
gem ipsum auctorem esse Rebellionis,  
bellique civilis: adeo prævalebat eo  
tempore obsequii modus in arbitrio sub-  
ditorum positus: Occupata hac arce  
Guisius motis ad Retellios castris urbem  
post octidui expeditionem ditione ce-  
pit, pluribus aliis locis in Regis pot-  
estatem revocatis: sola Nivernensis Du-  
xis Conjux, forti animo fœmina, Ni-  
vernus urbem, cui se incluserat, ma-  
gnanimitate sexus sui conditionem exce-  
dente, adversus omnes Montignii in-  
fultus tamdiu strenue propugnabat, do-  
nec fama de Ancræi cæde ad ejus au-  
res pervenisset, qua cognita apertis  
urbis suæ portis Montignum, ut cum  
Regio exercitu intraret, rogabat: pari-  
etiam promptitudine Mayenius Dux,  
qui ingenti prius strage regias Alver-  
niæ Comitis copias fuderat, ad Ancræi  
truci-

trucidati nuntium Suessonensem urbem Sæc. XVII.  
ultra tradidit. Priusquam vero hostis A.C. 1617.  
ille publicus, qualem hi Principes re-  
putabant, communis fere indignatio-  
nis victima cecidisset, rursus Lutetiae  
Parisiorum divulgabatur diploma, in  
quo præfati Principes adversus An-  
cræum Marescallum, ejusque conjugem  
vehementer declamabant, exponentes,  
quod Itali hujus hominis humili loco  
nati avaritia, & regnandi libidine Con-  
dæus in vincula conjectus, Principes  
alii, iique Regi suo fidelissimi officiis  
suis amoti, & perversis ejusdem ne-  
farii machinationibus proscriptionis pœ-  
na multati fuerint, ipse vero solus ce-  
teris e medio sublatis, aulaque depul-  
sis, & Parisiensi Senatu ferme oppres-  
so ad Regni clavum sedere ambiat, at-  
que omnia Sacra & profana ad se u-  
num pertrahens, ipsum quoque Regem  
nonnisi inani titulo gratis relicto, suæ  
ambitioni obnoxium faciat, & Regii  
Sanguinis Principes non alia ex cau-  
fa, nisi quod cervicem ejus sicariis præ-  
bere noluerint, atque perversis ejus-  
dem conatibus obstiterint, structis un-  
dique eorum vitæ insidiis insequatur,  
imo libertatem, ipsasque oppressorum  
querelas sua sub potestate habeat, cum  
vel ingemiscere crimen oppressis esset.  
His addebant, quod Ancræus, ejus-

Qq 5 que

**Sæc. XVII.** que uxor de vitæ Regis fratrisque tui  
A.C. 1617. spatio ac diuturnitate Medicum Montaltum, Magos & Ariolos interrogarint, forte etiam veneficis suis artibus utriusque finem vitæ constituentes. Ancræus vero cum Hispanis, ut si e Galliis adversa tempestate fors deturbetur, securum ibidem haberet asylum, clandestina foverit consilia, eumque in finem exterum militem in præsidia finitima introduxerit, novumque in Belgio exercitum collegerit. *His aliisque de cauffis, inquiebant Principes, omnibus, & singulis testamur, quod extrema necessitate coacti, oppressam ab Ancræo, ejusque Sociis libertatem, Regis, Regnique Majestatem vindicare decreverimus, hortamurque omnes, qui se genuinos Gallos profitentur, nostris accedant partibus, relictoque Ancræi studio ad obedientiam Regi, Regnoque debitam revertantur: Hoc si neglexerint, omnem miseriaram, quas in hoc bello perpessuri sint, cauffam sibi meti ipsi ascribant: Eadem enim cum iis, qui tanta facinora vel tacendo approbarunt, vel connivendo promoverunt, pæna dignos esse, literis hisce publicis constanter asseveramus.*

## §. CLXIX.

*Ancræus Marescallus Rege consciente medio sublatus.*

Divul-